

in formam Portatilem redigi posset, quicquid instar *Prodromi elaborati mei Dispensatorii Lubecensis* esse queat, (in quo omnes Compositiones ex variis Auctoribus tanquam fonte ipso, descripsimus, nec non earundem Præparaciones & Etymologias tam Græcas, quam Latinas perspicuè explicavimus) sicque omnibus & singulis abundantia illa, tam antiquorum quam recentiorum Medicamentorum, quibus officinæ nostræ præ aliis superbiunt, innotesceret.

Quoniam verò antiquus, laudabilisque mos est ejusmodi scripta Patronis ac Amicis dedicare, consecrare ac inscribere, & ego ausus sum præsens hoc opusculum ceu Monumentum gratitudinis meæ perpetuum, pro tot beneficiis Tibi erigere, spem alens haud dubiam, fore ut tam opusculum ipsum, quam animum favoris Tui in me semper memorem sis aspecturus, benevolentiamque Tuam mihi pariter ac meis continuaturus. Quod reliquum est, animitus voveo, ut supremum illud Numen Te Honoratissime Dn. Collega per multos adhuc annos in tot Celebriorum, tam intra quam extra mœnia nostra ægrotantium salutem, totius splendidissimæ Familiæ solatium, meumque ulterius gaudium ac commodum sospitare velit ac servare incolumem. Quo ipso Te Amicorum Ocelle, Divinæ protectioni commendans semper persevero

*Excellentissimi Tui Nominis Cultor
perpetuus*

JOHANNES NOLTO,
Phil. & Med. D. Reip. Lub. Physicus Anno
Ætatis LXVII, Praxeos XLI.

Dabam Lubecæ ex Museo
Anno 1705, XIV. Cal. Mart.